



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vigesima nona Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

## Vigesima nona Octobris.

De S. Hermelende sive Ermelinde<sup>a</sup> virg.Ex historia ecclesiae Meldariensis, & informatione  
quam ibidem accepi.

**V**illa Meldricis, sanctæ HERMELENDIS virginis. Hæc præclaris parentibus nata in villa Odanca, virginitatem suam duodennis Deo deuouit, atque consecravit. Quam cùm in villa Beuecum duo fratres profanare vellent, qui in virginis concupiscentiam exardescabant, Angelus eam iussit in Meldricem vicinam insulam recedere. In qua animam suam castitate virginali, obedientia regulari, & mira abstinentia, insuper & eremitica vita sanctificatam, Deo eam repetenti reddidit. Post mortem verò per quadraginta octo annos à cultu sœnli latuit, donec miraculorum gloria eam magnificante permotus Dux Pipinus, pater beatæ Gertrudis, sacrum corpus levauit è tumulo : prædiorum quoque maxima multitudine locum ditauit, instituens illic sanctarum virginum monasterium. Quibus ut diuinum sacrificium peragerent presbyteri ex monasterio S. Bauonis, quod in vicino monte qui Teutonicè dicitur Calfmondr, situm erat, adiuncti sunt. Sed neutrum monasterium nunc subsistit. Est autem Odanca apud Louaniolum, ter dunck by Luenen. Meldricis autem insula nunc continens est, & Meldaria dicitur, dictis locis, & Hugardiæ in finibus Brabantie contigua. Vbi natalis virginis celebris est cum nouem Lectionibus, die vigesima nona Octobris : diem porrò translationis, undecimo

Vulgo Mel-  
daers.

decimo Calendas Maij, & processionem cum corpore, tertio festo Pentecostes celebrant.

a. Haec est alia à S. Ermeliade sorore S. Gudilæ, de qua die 10. Iulij.

Trigesima prima Octobris.

De sancto Foillano, episcopo & martyre,  
cum collegis.

*Ex historia eius manu-scripta, additis aliunde diversis observationibus.*

**F**ossis natalis S. FOILLANI episcopi, qui de Hibernia venit ad beatum Ultanum, germanum suum fratrem, qui Fossensem regebat ecclesiam: Et in saltu qui rustica lingua Carbonarius nuncupatur, martyrizatus est. Cuius vita virtutibus gloriose, & miraculis copiosissimis illustris fuit. Fratres habuit dictum Furseum & Ultanum, cum quibus in magna eminuit sanctitate. De ea enim tribus his fratribus testimonium ferunt, Beda libro tertio historiæ Anglorum, & libellus vitæ S. Fursei, cuius ibidem Beda præclarè & prolixè meminit. Primum enim, ut à <sup>Beda li. 3.</sup> ci-  
<sup>cap. 19.</sup> tatis auctoribus accepimus, Furseus multis annis in Scotia, patria insula, verbum Dei annunciauit. Inde, omnibus relictis, per Britones in prouinciam deuénit Anglorum, ubi nobile construxit monasterium: & prædicatione verbi Dei multos incredulos ad Christum conuertit: & credentes in fide & amore Christi confirmauit. Quibus rite gestis, monasterium, & animarum curam, fratri sui Foillano reliquit. Et ipse ad eremiticam vitam secessit. Sed aliquanto post,